

dicimus modo, ex spacio, fluore, lumine, et calore, neque quo ipsi modo elementa omnia ex materia, et forma esse composita affirmant. Nec ut Telesius vere vir ingens, et summis veterum in re physica anteponendus, docet, terrae priorem hanc partem, a solaribus radiis, esse inversam, et in aliud ens actam dicit. Sed eo modo, quo Gaspar Contarenus Cardinalis, nostro seculo Peripateticus summus, demonstravit, terram nullibi, nullaque, sui parte esse simplicem, praeter quam circa centrum. Cui quoniam reliquus Peripatus non assentitur, et in magistri insensata fere sententia, terram esse simplicem perstat, est rogandus, ut terram nobis incredulis ponant ob oculos, et simplicem esse cognoscere nobis faciant vel invitis. Si id vel nesciant, vel nequeant ostendere, de philosophiae schola sunt exsibillandi. Quoniam nihil aliud, quam verbis contendant; rerum autem veritati sue ostendant nihil. Nos cum eis lenius, quam ipsi nobiscum, placideque agamus. Ostendite vos quæsumus terram prius, deinde terram simplicem. Non putamus vos, pro terra, ea quæ in terra sunt ostensuros. Lapidès nimitum quibus, totæ montium moles constant. Montes autem, Universum hunc quem vos terræ globum dicitis, et cingunt multifariam, et recingunt quaquaversum. Neque metalla pro terra nobis ostendetis, non tot marcasitas, tot sales, tot sulphura, tot vitreola, tot alumina, tot arsenica, tot bolos, tot boraces, tot magnetes, tot vitra, tot cristalla, tot concretos flores, tot inconcretos, tot aquarum genera. Sapere enim vos, ante alias sapientes omnes, vobis damus. Itaque hisce omnibus talibusque aliis semotis, solam terram nobis commonstrate. Non putamus vos dicturos terram esse eam, quam dicunt aliqui (nescimus an de vestre an de alia schola sint) totam pressione, et pondere partium lapidem densissimum esse factam. Unam pro tot rebus terram a vobis petimus.

Si præceptoris vestri: sive de eius schola viri primarii, ac tertii eius successoris Stratonis physici stetis monitis, album aliquid pro terra nobis afferetis. Ita enim ab eorum altero est scriptum.

Καὶ ἡ γὴ δὲ φύσει λευκὴ, παρὰ δὲ τὴν τινὶ βαφὴν πολύχρονς φαίνεται.

“Et terra quidem natura alba est, obtincturam vero multi color appetit.”

Probat id experimento cineris.

Δῆλον δ' ἐπὶ τῆς τέφρας τοῦτο ἔστιν. ἐκκαυθέντος γαρ τοῦ τὴν βαφὴν πεποιηκότος ύγροῦ λευκὴ γένεται οὐ παντελῶς δὲ, διὰ τὸ, καπνῷ βεβάφθαι μέλανι ὄντι.

“Clarum autem in cinere est, exusto enim eo qui tincturam faciebat humore, alba fit, non omnino tamen, quia fumo qui niger est, intingitur.” Addit aliud.

Διὸ καὶ ἡ κονία ξανθὴ γίνεται, τοῦ φλογοειδοῦς καὶ μέλανος ἐπιχρώζοντος τὸ ὄδωρ.

“Ideo et pulvis flava fit, quia quod flammeum, et nigrum est, colorem ei indit aqua.”

Itaque cinis terra est, pulvis terra est, sed neutra tetra simplex est, tincta enim utraque est. Cinis quidem fumo, qui niger est, pulvis autem a flammeo, et nigro. Sed hoc secundum tam clare dictum est, ut divinatore sit opus peracuto. Sed esto. Cinis ergo, et pulvis, quia coloratae sunt, terræ simplices non sunt. Ergo, et quæcumque aliæ terræ coloratae fuerint, simplices terræ non erunt. Solæ ergo illæ quæ natura albæ sunt, terræ erunt simplices. Quatuor tantum terrarum albarum genera nos euidem novimus. Si quis plura noscat, veritati augendæ hic adiiciat. Arenam, non quidem omnem, quia fluvialis, et marina, humore tincta est, sed eam, quæ fere totam inter Atlantem, et Nigirum, Lybiam operit, quia Sole ex siccata alba est, et Alexandria ad nos affertur, si modo arena omnis, lapilli potius non sint quam terra. Id enim et magister docet in Probl.

ἡ δ' ἄμμος ἔστι πέτρα ἐψυγμενη εἰς μικρὰ καὶ ἐλάχιστα μόρια. “Arena est petra comminuta in parvas, et minimas particulas.” Cerusa quoque alba est, et gypsum, et quam Gallico nomine Marnem appellant, Deus bone ad tam pauculum terræ, totam terræ elementum, principalis totius Universi una pars, reducetur. Sane si terra elementum est, mistorum, et compositorum corporum elementum erit. At arena mistum componit nullum, gypsum nulli naturali corpori miscetur. Cerusa nihil generat. Ergo haec tria, terræ elementum nequaquam erunt. Marne autem, per agros quidem sparsa, eos fœcundat. At eorum, quæ ex ea nascuntur